



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Variorum In Europa Itinerum Deliciæ**

**Chyträus, Nathan**

**[Herborn], 1599**

**VD16 C 2803**

Dantisci. in Mariano.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)

DANTISCI.  
IN MARIANO.

Quem virtus, quem dia gemit Medicina, potentes  
 Quem coluere urbes, quem coluero duces.  
 Felix ingenio, felicior arte Jacobus  
 Schadius hac tumulum natus in ade cubat.  
 Charo mœsta viro conjunx, natusq; parenti  
 Hac monumenta dedit, plus dare non potuit.

Obiit vii. Junii anno Christi  
cic 1510.

## ALIUD.

Cui natura potens, & alma virtus  
 Certatim sua contulere dona,  
 Vir præstans pietate & eruditus,  
 Et Doctor Medica peritus artis,  
 Civis justus, obediens, fidelis,  
 Praeclarum patriæ decus, domiq;  
 Et prudens pater, & bonus maritus,  
 In Christo moriens pié, hoc propinquuo  
 Dormit Bartholemaus in sepulchro  
 Wagnerus: caro ubi quiescit in spe:  
 Sed mens sollicitis levata curis  
 Christi amplexibus haret in beatis,  
 Et propter merita, & pios labores  
 In terris retinet perenne nomen.

Obiit anno 1571. 15. Maii.

## ALIUD.

Hospes in hanc veni primū Carnicius urbem,  
 Hospes & hic casus mox feror in tumulum.  
 Sava mihi eripuit cognati dextera vitam.  
 Vita sed est Christus non moritura mihi.

EPITA-

EPITAPHIUM NOBILIS ET HEROICI  
bellatoris ac Capitanei Roberti Gurlæ  
Scoti, &c.

*Gurlaja de gente sat us, roburq; Scotorum  
Robertus jacet hinc non procul in tumulo.  
Victorem toties quem fugit Iberus in armis  
Belgarum Albanus dum populatur agros.  
Quiq; ad Mundensem castris portum exuit hostes,  
Et Gedani afflictis dem sit in urbe metum.  
Victor ibi occubuit lethali ex vulnere, at illum  
Eripuit letho nescia fama mori.*

## ALIUD.

*Robur militia, decus Scotorum,  
Robertus jacet hac in æde Gurla.  
Qui victor toties fugans Iberos,  
Belgas afferuit potens, & urbem  
Tutatus fuit hanc ab hoste, cuius  
Castris invasit, eum exuitq; castris  
Ad portum Gedani: hostibusq; fusis  
Victor occubuit: sed alma virtus  
Pro pulchris meritis, manuq; prompta  
Hic illi statuit perenne nomen.*

## ALIUD.

Vexillo serico inscriptum, & suspensum in æde  
Mariana Dantisci.

*Corpore non magno, sed labore magnus & armis  
Robertus Scotica gloria gentis erat,  
Clarus apud Belgas, hostes cum fudit Iberos,  
Atq; hostem castris exuit ad Gedanum.*

*Venit Dantiscum xv. Junii, anno 1577.*

*Expugnatis hostium castris victor  
cecidit 111. Julii, anno eodem.*

*Postridie pompa funebri, vix antea hic visa, in celeberrimo civitatis Dantiscanæ templo, ad D. virg. matr. honorifice sepultus est.*

## IN ADE SANCTÆ TRINITATIS.

Qui Musas coluit teneris Henricus ab annis  
 Mollerus, jacet hac contumulatus humo.  
 Multorum mores hominum lustravit & urbes  
 Vir pius, & rerum cognitione gravis.  
 Magni illum reges, magni fovere patroni,  
 Quorum illustravit versibus acta suis.  
 Gymnasiq; hujus Rector, bis quatuor annis,  
 Ingenio afferuit consilioq; decus.  
 Phæbus eum viridi subreptum luxit in avo,  
 Donaq; Pierides hac posuere viro.

Obiit anno Domini 1567. 18<sup>Fe</sup>  
 bruarii. ætatis suæ 39.

## ALIUD.

Qui sua non procul hinc posuit Laurentius offe  
 Fabricius, verbi præco fidelis erat.  
 Simplice quod docuit bis senos mente per annos,  
 Quodq; alibi doctis versibus expoliit.  
 Ergo viro conjunx, & charo nata parenti,  
 Hac monumenta sacro constituere loco.

IN VESTIBULO SCHOLÆ  
Marianæ.

Hac domus est Christo, studiisq; dicata juventu,  
 Nemo sacrum violet dedecoret ve locum.

Anno Domini 1343. feria 4. post Lætare positus est  
 primus lapis muri civitatis Dantisci. Et postea proxima  
 feria 6. positus est primus lapis Ecclesiæ beatæ vir-  
 ginis Mariæ. cuius dedicatio celebrabitur  
 proxima Dominica post festum  
 nativitatis Mariæ.

REGIO